


Gottlob Friedrich Seligmann Victor Grabow von

Fallacias Politicas


Rostochi[i]: Weplingius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732445914>

Druck Freier  Zugang



RU phys 1684



21.

552.

J. T!
**FALLACIAS PO-
LITICAS,**

*BENEVOL. AMPLISS. FACULTAT. PHIL. INDULTU,
PRÆSIDE*

RECTORE MAGNIFICO,

DN. GOTTLOBFRIDERICO Seligmann,

PHYS. ET METAPH. PROF. TEMPLI CATHEDR. ARCHID.

ET AP. LIPSIENS. ADHUC DUCALI COLLEGIAT.

**DN. PRÆCEPTORE, HOSPITE ET FAVORE SUO
SUMMOPERE COLENDO,**

AD D. APRIL. ANN. MDC LXXXIV.

**IN ALMÆ AD VARNUM MAJORI AUDITORIO
PUBL. DISQUISITIONI SISTET**

**VICTOR DE GRABOW,
EQUES MECKLENB.**



ROSTOCHI,

TYP. JOH. WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR.

1684

ILLUSTRIBUS AC GENEROSIS
VIRIS,

DN. JOHANN - OTTONI
de RIBEN /

S. REG. MAJ. DANIE, NORVAGIÆ, &c. &c.
AULÆ MARESCHALLO EMINENTISS.
HÆREDITARIO IN Suet & Rogaan &c.

DN. AVUNCULO & MECENATI S.
ut &

DN. SIMONI NICOLAO
de SCHWARTZ /

S. REG. MAJ. DANIE & NORVAGIÆ &c. &c.
TOPARCHÆ MARIBOIENSI
HÆREDITARIO IN Brunenbrock / &c.

DN. COGNATO AC PATRONO S.

Hoc Politicum de FALLACIS POLI-
TICIS Schediasma

Debitam



Tam æquis conaminis sui JUDICIBUS

Observantiam sine fallaciis

ii c. Obstrictissimâ semper mente testaturus

submisit sacrat

V. DE GRABOW.



I.

Imperare est legitime fallere
populum. Vetus dictum, idque
 si faciem externam spectes, hete-
 rodoxum ferè, certè paradoxum:
 nec dissonum tamen adeò ab eò, cu-
 jus autoritatè quotidianò usu sum-
 mi jam olim Principes corroborâ-
 runt: *Qui nescit dissimulare, nescit*
imperare. Fuit Hoc symbolum ERIDERICI I. Vindicis impe-
 rii adversus Italos unici ab Italico scriptore (a) dicti: eòq;
 Imperator Inclutissimus gavisus hâc est cum prudentiâ, ut
 inter dissimulationes civiles, quibus licitè, urgente salute
 publicâ, locum nonnunquam relinqvebat, ne dissimu-
 laret quidquam ad aucupandam Pontificis gratiam & in-
 Imperii Nostri decrementum (b). Illud verò abs PLA-
 TONE profectum est, Viro sapientissimò, quem eò liben-
 tius etiam impresentiarum audire possumus, quò aliàs
 intendit perfectiorem sine labe & confusione Rempubl.
 (d). Quicquid enim & hic dixit, in egregii ipsum publici
 gratiam pronunciatum atque usurpatum voluisse, vel *legi-*
tima, quam desideravit simul, ubi permitteret *fallacias*,
ratio satis commonstrare valet.

A 2

(a) Is

(a) Is est Sigon. Histor. de Regn. Ital. L. XV. p. 384. (b) Hæc refero ex præfamine venerandi Dn. D. Alberti Disputat. de *Simulat. & Dissimulat. in regendâ & administrandâ Republ.* Ann. LXXV. 17. April. Lips. hab. (c) Scio alias hic ipsum ad liberam inprimis Rempubl. Atheniensium respexisse, in quâ Primores, nî populum quandoque prudenter decepissent, maximè salutaribus etiam in consiliis turbari potuissent &c. vid. hist. Græc. illor. tempor. (d) Hæc responsione utitur etiam Becmann. contra Joh. Baptist. Crispum *Libr. de Erbn. Libr. cautè legend.* aliosque, Platoni Communionem uxorum in Republ. simpliciter affingentes, quam tamen non de corporum, sed operarum communiione hunc ipsum solùm intellexisse ex variis locis docet, Politic. parallal. inprimis, c. IV. §. 3, adde allegatum ibid. Marsil. Ficini pro Platon. loquentem.

II.

At verò, id omninò est, quod potissimùm inter Politicos non sceleratos (e) controverti adverte: An aliqua sint *fallaciarum*, quæ *legitima*, aliqua *simulationum*, quæ *non illicitæ*, salvâ rei veritate, nuncupari queant? Sanè condigna *Ars fallendi* piissimo Jcto (f), AHASVERO FRITSCHIO, visa fuit, quam inter vitia Aulicorum (g), locò à Religionis contemptu (h), Atheisticorum Principiorum suggestionem (i), ac seductionem Principis ad voluptates (k), proximò reponeret. Tantoperè detestatur ipsam, tamque indignam bono Politico ac Aulicò arbitratur (l). Et, si conferre summum virum, CHRISTOPHORUM FORSTNERUM, placet, quem allegavit ille in Taciti verba, de *Pompejo imagine pacis*, & *Lepido specie amicitie deceptis*, commentantem (m); vix possumus omnia nunc repetere, quæ de tabernâ idem, in quâ fuci venduntur, ubi nihil est sincerum, similibusque (n) congeffit. Aded alienum & is abs Aulicis Politicisque *fallaciis* animum ibi comprobavit (o). Neque dissona, simulationem si respiciamus ac dissimulationem, se exhibebunt. Nota Ciceronis vox, quæquam conditionata

ditionata (p); *ex omni illam vitā tollendam esse*. Neque adeo favet Verulamii censura, qui inter inferiores Politicos *Simulatores* locat, ipsamque *simulationem* prorsus ab *Artibus Civilibus* distinguendam esse sibi persuasum habet (q). Quid? quod ipsæ voces probum vix admittere sensum, posse communiter credantur (r)

(e) Sceleratus enim, *in omnibus*, inquit, *actionibus honori & dignitati tuæ servientibus, ut fallas alios, fallaris à nemine, diligenter attendendum*. (f) Confer de hoc Viri Magni Nomine Spizel. Infel. Lit. Commones, XXXIII. §. 5. p. 1045, & 46. ubi etiam hoc ex ore Conringii fluens reperies adnotatum Judicium: *Ego miror admirandum Dni. Fritschij studium &c.* (g) quorum numerum XXXIII. Conclusionibus in Tr. cui Titulus: *Aulicus peccans*; Ann. LXXXII. edito absolvit (h) de hōc, Conclus. 1. *peccat*, inquit, *Aulicus, qui ob temporale commodum, Spes vel honores, ad Religionem principis sui se accommodat*. Conf. Brent. Homil. 62. in Joh. (i) de hāc, Conclus. 2. *Peccat, qui mala & Atheistica Principia Domino suo atque aliis Aulicis suggerit* Conf. Spizel. Scrutin. Atheism. & de vit. literat. Comm. I. (k) Conclus. 3, *Peccat, qui Principem suum à curis Regiminis publicis que negotiis per voluptates callidè abstrahit*. Conf. Histor. Rizii ap. Thuan. l. 31. histor. (l) hinc Conclus. IV. vehementer in hoc vitium per varia allegata & dicta invenitur. vid. ipsum omninò (m) ad l. 1. c. 10. n. 4. (n) Facit huc, quod in Trajano Bocal. est ab eòd. adductum: *Fumum vendere privatis interdictum &c.* conf. cent. 1. c. 3. (o) Ne ad Gallicam querelam de ferreo tempore, sub Richeliò: *fraudentò*, sub Mazarinò provocem; quæ extat Theatr. Eur. Tom. VII. 43. (p) Hoc enim præsupponit: Quod si Aquiliana definitio vera: laudat igitur autorem suum; vid. venerand. Dn. D. Alberti Disp. de simulat. cit. C. 1. Th. 12. (q) Sermon. fidel. n. 6. (r) Quemadm. etiam de Mendacij voce paria Augustinus sentit, unà cum aliis, quos magno numero adductos, vide in Wendel. Philos. Moral. L. 1. c. 31. p. 986. Unde nonnulla rei præsentis subservientia excerptare licebit. Confer de simu-

ratione Cominæum, qui expresse, merito, ait, *nostros homines ejus figmenti pudere debeat* vid. Lib. III. de bell. Neapol.

III.

Interim nec desunt, præter Platonem, de fallacijs qui mitius sentiant. Ut namque Plinianum illud multis ne attingam (s); *Decipere pro moribus temporum, prudentiam esse*; quem latet quæstio, de *dolò*, ægri ab imaginatione liberandi gratiâ inventò, agitata in Moralibus & affirmativè decisa (t)? *Quem piæ fraudes fugiunt, quibus non rarò bonum satis amplam procuratum est (u)?* Sic *simulationis* quoque Magnus, at prudens æstimator, Fridericus, abs se non discedentes, imò symbolo huic, quò utebatur, planè potius subscribentes habet. Haud ad antiquos, opus est, ut regrediamur; abs quibus *Multa & dissimulare & oblivisci, & pati præterea Senatū posse (k)* inaudimus: Loquatur pro recentioribus Politicis Conringius, Vir in his studiis illustris, qui, *non absque stultitiâ, inquit, incusaveris omnem dissimulationem*; quippe quæ & rigido veritatis exactori, Augustino, non penitus sit improbata (y). Quid? quod & voces ipsæ non nisi per receptum usum videantur malum, confessim cum nominantur, inferre (z).

(s) L. VIII. Ep. 18. (t) vid. hîc Becm. Moral. c. 2. §. 7. Qui actum, talem expresse innoxium vocat; Majusque per eum bona procurari docet, quod liberentur ægroti à carceribus obscuratæ rationis &c. Quid enim proficeret Medicus, si omnia in antecessum ægro exponeret tormina; quæ hoc illudve Medicamentum, restituendæ sanitati proficuum, comitari solent? sic legitime, etiam inanibus sæpè terriçulamentis, fallit Filium, ubi his eum ad meliora perducere valet, Bonus Pater &c. (u) vid. de his Becm. Moral. c. 13. §. 4. (x) ita Livius L. IX. Dec. 4. (y) sic enim Augustinus: *licet veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione.* vid. Conring. De Civ. prud. c. 2 p. 20. (z) præter ea, quæ ex subsequenti. huc referri poterunt, videatur Florimundini acies Polit. p. 1, qui fallere interpretatur,

6716

ante quãdam persuadere id, quod illum alterum credere
publ. resit. Quatenus vero simulatione ac dissimulatione uti
liceat, peti inter alios è Lips. posse L. 4. Polit. c. 14. pro
fitetur.

IV.

Nimirum, mediõ tutissimis, ut puto, ire licet. Neque
enim, ceu ex accuratiori inspectione patet, illi proscri-
bunt, velut nechi tolerant, omne fallaciarum ac simulati-
onum genus. Sanè ad Fritschiana cum remitto oculos
mentemque, in homines ille, queis in ore mel, fel in cor-
de, quã maximè invehitur (a); quorum quis causam age-
re ullatenus, nedum probare, sustineat? Non penitus dis-
paria de Forstnero judicare integrum erit; ex cujus aliõ
quodam loco hæc, limitationis vice, huc transcribimus: *Ita*
merentur, qui omnibus suis dictis factisque simulationum
nubes obducunt, ut etiam, cum sincerè agunt, fidem non me-
reantur (b). De Cicerone res expedita est, qui in publicis
non inconstantis esse, credit, sententiam, tanquam aliorum
navigium atque cursum, ex Reipubl. tempestate moderari.
(c) Et cur repetam dicta quælibet, cum sciam splendido
prudentiæ titulo, quicquid hoc negotii est, speciosius orna-
ri, modò, qui facilis quidem ac frequens, vitetur lapsus in
vitium (d).

- (a) Hinc talia solum allegat, quæ de figmento amoris, de tutã
ac frequenti viã, per amici nomen fallere, loquuntur, vid. ipsum
c. l. (b) Habet hæc Not. Polit. ad L. 4. Tacit. c. 9. ubi verba *de*
fide vero quoque & honesto dempra extant: Nec prætermi-
tere ex not. supra allegat. hæc verba possum: *Rara est inter*
illos vera, nec utilitatis spe rumpenda amicitia &c. (c) ita
ipse in orat. pro Cn. Planc. n. 94. loquitur vid. Venerand. Dn.
D. Albert. c. Disput. Cap. Gen. Th. 12. (d) Hæc licet immu-
tata paulum ad scopum nostrum abs eod. Dn. D. Albert. mutuo
sunt sumpta, vid. præfam. ad illam Disp.

V. Sed

V.

Sed, huc dum scopus tendit, ut ab ambiguitate suâ ante omnia voces liberentur, necesse est. Sunt igitur *Fallacie* Synonyma; *Fraus* atque *Dolus*. *Fraudis* descriptionem hanc suppeditat Becmannus (e), esse eam *rei falsæ præverâ ostentationem*; quæ, absque speciali ad mala applicatione, annon fieri quandoque *citra alterius læsionem* (f), annon interdum bono magis, quàm damno, plurimum cedere possit, nescio, cur ambigam? Sanè de *dolo* ita laudatus modò, nec laudandus unquam satis, Conringius, fari amat: *Non Philosophos tantum sed & sanctos Ecclesie Patres falsiloquium aliquod (g) omni culpâ absolvisse: Multo minus credidisse, omnem ambigui significatus sermonem (omne rei aliter ostentatæ ac gestæ specimen) in vitio ponendum. Satis est scilicet, ne quem s. simulatis actionibus, s. supenso sermone s. denique falsiloquio injuriâ afficias.* Sigillatim de nostris fallaciis hæc eloquitur: *Vacant quoque culpâ ὀφισμοῦ, quæ dicuntur, & σὺν μακροῖς & simulacra imperij; modò utatur ijs Politicus ad continendum populum in illo officio, in quò optimò jure debebat contineri. Neque verò (sic pergit) his ipsis aliqua populo fit injuria, quum in emolumentum ejus cedant: eoque si sapit, malit utique sic decipi, quam perire non deceptus; imò amabit deceptorem: perinde ut Medici (g) decipulis ægrotus, recuperata valetudine, solet gaudere. Et verò (ita concludit) hæc est illa καλὴ καὶ ἐπιεικὴ πειραξία S. Basilij, quæ sine humana hæc vita constare sibi non potest (h).* Quæ quidem omnia quid aliud innuunt, quàm vocum harum, *doli, fallacia, fraudis*, ea fata esse, ut per usum quidem ipsam includere injustitiam videantur (i); at ab iis tamen, qui longius humanos casus prospiciunt, aliquid etiam boni & à malo liberi in iisdem observari, si accuratius paulò circumstantiæ, quarum accessu de-

ter-

determinari possunt, secernantur. Ut verè obtineant & hic, quæ de *simulatione & dissimulatione* ap. venerandum Du. D. Alberti (k) legimus: *Vulgus eà, quâ fruitur, licentiâ, illas non rarò cum mendacio, sicut & hoc cum illis, confundere. Majorem autem, ceu par est, curam distinguendi fuisse Aristoteli atque Grotio. Atque isti quidem, quando mendacium justitiariæ veritati, homileticæ tantùm simulationem & dissimulationem opponere, & proin ex his dari aliquam docuit, quæ in jus alterius non inolet (l): Huic verò, dum indifferentem simulationis & dissimulationis naturam, tam certam esse judicavit, ut ei totam divisionem Doli (commodo in his nostro non exiguo) conformaverit (m).*

(e) c. 13. §. 4. Moral. (f) unde ad fallaciam & dolum in genere consequent. formare fas fit. (g) vid. hoc ipsum simile in anteced. jã à nobis adhibitum. (h) extant hæc Conringiana de Civil. Pr. c. 2. p. 20. seq. (k) de quâ re etiam in anteced. non nihil dictum; vid. Becm. c. 13. §. c. (k) cit. sapius Disput. c. 1. §. 2. sq. (l) Nicom. IV. c. 7. sec. al. 13. (m) De J. B. & P. l. 3. c. 1. §. seqq.

VI.

Non inviti agnoscimus tantorum Ducum vestigia, eademque sequimur in hisce lubentissimi. Enim verò unum est, quod prius h. l. quancquam brevibus exponendum: ut differant videl. à simulatione & dissimulatione fallaciæ. Non erraverimus, credo, si sub his illas, ut partes constituentes, contineri (n) asseruerimus. Res ita declarari potest. Fallaciæ, ceu generatim omnes (o), sic præsertim Politicæ quoque, aliud inferunt in sensus, quam in abditis adhuc nondumque pernotis rationibus est. Consilia ergo & mentē occultare eum oportet, qui cum prudentiâ fallere discipit. At hujus operis tres (si partes dicere nolimus, certè) gradus sunt (p). Primus Taciturnitas est; *Confessoris*, ut Verulamius vocat, *virtus*; cujus beneficio senfa

B

ani-

nimi premuntur, adeoque relinquuntur in æquilibrio, ut in quam partem quis propendeat, nemo facile queat con-
jicere. Et ab hac virtute *qui Famam habet*, iterum cum
Verulamio loquor, *facile aliorum animos referabit; dum
homines non tam impertire, quam exonerare hosce sole-
ant.* Unde pro certò ipsi positum est, *Taciturnitatis habi-
tum virtutem Politicam, non minùs quàm Moralem, esse.* Mo-
dò *Et illud, quod vult, addatur, bonum homini censei, ut vul-
tus suus lingue officium ne præripiat.* Alter gradus Dissimu-
latio, sæpè tenus hæc nuncupata, statuitur, *cum quis ex
compositò signa quadam Et indicia jactat, se non eum esse, qui
revera est.* Atque hæc ex necessitate quadam Taciturnita-
tem sequitur. Adeò, *ut, qui tectus esse vult, Dissimulator ali-
quatenus, vel nolens, evadat.* Etenim astutiores (q) sunt
homines, quàm ut patiantur aliquem in æquilibrio se con-
tinere, absque aliqua in alteram partem inclinationis suæ
Declaratione. Ita tamdiu quæstionibus eum obsidebunt sub-
tilibus, donec se non nihil prodat: quin vel ex ipsò obfir-
mato silentio aliquid non minùs, quàm ex verbis conjectu-
ræ capient. Satiùs igitur est, nonnulla aperire, dissimulare
(r) potissima. Dissimulatio enim quid aliud est, inquit Baco-
nus(s), quàm silentii quidam limbus? Tertius gradus
ipsa simulatio dicitur, positivi quid secum ferens, adeoque
ceteris periculosior & ad vitium propensior; quippe quæ
professioni falsa quam proximè accedit; quid? quod hanc
non rarò complectatur. Interim præcipuè ea istud agit, ut
alia planè prostent & extrinsecas conspiciantur, quam ex
vero in mente sunt, idque, nisi scelerata esse ac dici de-
beat omninò, penes eos, quibus aperire mentem non obliga-
mur. Fundamentum reliquorum duorum graduum
taciturnitas est, quàm maximè etiam abs Ratione (t) Status
desi.

desiderata: In simulatione autem & dissimulatione(u), si non omne, certe primarium inveniunt refugium fallaciae,

(n) Conf. Boxhorn. Institut. Polit. L. 1. c. 15. §. 4. add. not. ad eund. p. 303. sqq. (o) sic enim aliud Sophismata Logices solent inferre, quam in praemissis est; de quibus bene nonnemo; utinam careret Orbis scriptorum Polemicorum mole, quibus non tam probatur, quid valeat Veritas, sed quantum in decipiendis aliis humana calliditas: posset & ad praesentem materiam suo modo fieri applicatio. (p) excerpta sunt haec cum sequentibus ex ejus sermonibus fidelibus, [aureo libello] n. VI. (q) ita rursus Verulam. c. 1. (r) nam nec is tantum Mediocritatem excedit, qui in omnibus mentem obtegit, sed is quoque qui dissimulationem prudenter dissimulare nequit. conf. omnino Becm. Meditat. c. 3. §. 13. ubi & exempla sacra adfunt(s) iterum c. 1. (t) ita Becmann-Modiac requisita Rationis status sunt I. Ut sit obliqua II. Arcana. conf. Meditat. c. 3. §. 10. & 12. (u) Hujus utriusque commoda secundum Verulam. c. 1. haec sunt: primum, quod utraque oppositionem amoliat; 2. quod in hominis potestate relinquat, ut pedem referat &c. 3. quod ad aliena consilia detegenda viam aperiat; incommoda; timiditatis inculatio, ancipitium & privatio fidei. Interim *Optimum*, inquit idem, *temperamentum fuerit, si quis veritatis famam obtineat, Taciturnitatis habitum, Dissimulationis usum tempestivum, & facultatem simulationis, ubi opus fuerit.*

VII.

Ast est non nihil in eorum Naturam ulterius inquirendum. Quod si vero JUSTUM LIPSIUM audire tum velimus, nescio, quam *mixtam* ille *prudentiam* nobis propinet; ei, unde *probum ac merum* fluit, oppositam; Verba ipsius haec affero; *Fasne est, ut leviter misceam, & Jungam aliquid e fraudum fece! ego puto, quicquid Zenones quidam mihi abnuant, quibus unum illud ad laudem cum virtute directum iter, probatur* (k). Quid mirum, in detalem

Bz

FRANZ

Fraudis delineationem confici, quod sit argutum Consilium & virtute aut Legibus devium, Regis Regniqve bono (y)? Quam meritò, cum Machiavellicis illis, quibus omnia honestatis repagula audacissimè laxantur, rejicit, eidemqve obstare Spiritus S. effatum: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, egregiè, ceu solet, docet venerand. Dn. D. Alberti(z). Aliâ igitur incedendū viâ & de prudentiâ potissimum dispiciendum fuerit. Hæc autem dum rebus ritè ad finem perducendis invigilat, sicut media vel ordinaria habet, quæ uti, cum nulla necessitas urget, possumus ac solemus; vel extraordinaria, ad quæ, cum graviora incidunt, uterque oculus flectendus venit; sic ipsa, aut sicut ut observat ordinem, aut hunc ut transilit, (a) consideranda videtur. Priori modo fallaciis ac occultationibus non eget, quandoquidem, quod agit, haud novum, haud insolitum est; sed posteriori tamen modo dissimulationibus non parum juvatur, non parum promovetur fallaciarum beneficiò.

(x) L. IV. Polit. 13. §. 2. conf. §. 3. ubi ait, se illos qui fas non putant, *rationem in fraudem malitiamqve converti* (apud Cic 3. de Nat. Deorum c. 31.) *alibi sanè libentem audire: hic, inquit, quò possum? Evum & homines mihi ignorare videntur, & dicere tanquam in Platonis m. d. s. e. a, non tanquam in Romuli face sententiam.* (y) c. seqv. 14. §. 2. ubi & triplicem facit hanc fraudem, Levem, Mediam, Magnam, conf. seqv. (z) Disputat. plus vice simplici allegatâ C. i. Th. 15. (a) Solet hoc moneri quoque in Doctrinâ de Potentiâ Ordinata & absoluta ut videre est ex Discursib. Mss. venerandi DN. D. Alberti, adde Naud. Politisch. Staats Str. in German. Lips. versione p. 48.

VIII.

Scilicet, ita habet subditorum, quibus imperatur, conditio, ut sint imperiti plerunqve nec intelligant scopum eorum, quæ abs Magistratu suscipiuntur. *Tegantur ergo, salu-*

saluti nihilominus consultura publicæ prudentia ait, *arcana, & subditorum animi, cum rationis ipsius non sint capaces, aut adversirationi, locò rationis, opinione i. e. specie rationis occupentur* (b). Sunt tamen & curiosi subditi & suspiciosi; curiosi; utpote de actis Superiorum solliciti plerumq; , suspiciosi, ut qui semper credant à Magistratu injuriam fieri. Illis dissimulando præcipua; his tamen aliqva aperiendo, sicqve suspicionem compescendo, eadem cautior prudentia succurri cupit. Illustre specimen (c) Philippus II. Hispaniarum Rex præbuit, *qui, cum tot promissis ac sollicitis adparatibus se recepisset ad comprimendos motus Belgij venturum, aliud interea, quod intenderet, semper celavit.* Imò licet eò res translata videretur, *ut ne ipsi quidem Belgarum Legati, qui Regis fabulam sæpe irriserant, jam de profectioe dubitarent;* At tamen ne tum quidem deponebat personam, nec REX serio agebat (d). Sed quis non discit inde, quanta in benè prudenterqve administrando regimine difficultas sit (e)?

(b) Verba sunt Boxhorn. Instit. Polit. L. 1. c. 15. §. 10. (c) quantum ipsam rem, circa quam Dissimulationem hanc exercuit, nemo probaverit, qui soli Deo Dominium in Conscientias competere, secum reputaverit (d) Talia ex Stradæ Dec. 1. I. VI. refert Becmann. Meditat. c. 3. §. 12. e) satis enim patet inde quælibet ingenia in manu, ut sic loquar, imperantis ferè posita esse debere. conf. eund. Becmann. in anteced. hujusd. §.

IX.

Interim, quando sublevant difficultatem *æstimatio & Opinio, rerum humanarum*, iudice Cardano (f), *Reginæ; felicissimè omnem is superare non immeritò censetur, qui super experientiam sapientiamque, etiam specie inanum validus est* (g). Verbo: qui interiora statûs pernovit ita, ut, quæ ex ejus re & quomodo ipsi adplicanda sint, simul intelligat;

B 3

(h) dum-

(h), dumque intelligit, polleat etiam facultate, aliam rebus silentio obvelandis induendi imaginem, quam, qualem publice, ante rem ex voto gestam, spectari vult(i). Ceterum, ceu ex antecedentibus, quantum per temporis angustiam licuit, deductis, ad oculum patet, omne hujus rei momentum duobus his axiomatibus sic satis arbitror defini ri posse: *Licita sunt fallaciae, simulationes & dissimulationes in regenda, & administranda Republ. quae salva justitia atq; honestate ad promovendum bonum publicum faciunt. Vicissim quibus justitia aut honestas leditur aut damnū Reipubl. ex intentione infertur, sunt illicitae*: Ita enim, ut credo, iussimus laudatorum superius Ducum (k) vestigijs. Allegavimus verò administrationem Reipubl. à communibus civilia quò separaremus negotia (l). Provocavimus ad justitiam & honestatem, ut veros insinuaremus, intra quos hic, ut, & in ceteris actionibus, subsistendū sit genuinis Politicis, cancellos. (m) Publicū deniq; Bonū adjunximus, quod tanta est efficaciam, ut, si in reliquis circumstantijs honestas permaneat salva, id aut ejus studiū ipsas fallacias reddat honestas (n). O faustos Cives qui istā sub normā hunc in finem, faustō eventu, se deceptos vident!

(f) L. 3. de utilitat. & sapient. (g) i. e. valeat etiam vilibus insigni colore succurrere, conf Lipsienl. version. der Possit. Staats Str. Naud. p. 72. ex Tacit de Corbul. Libetque huc referre ex Liv. L. 6. sequentia: *Fuit Scipio non tantum veris artibus mirabilis, sed arte quoque quādam adinventā in ostentationem composita, pleraque apud multitudinem, aut per nocturnas visas species, aut veluti divinitus monita agens.* (h) Conf. Becm. c. 1. & in primis Autores sub finem abs eò adductos (i) de Vespasian. Tacitus L. 3. annal. ait: Omnium eum fuisse, quae diceret atque ageret, arte quādam ostentatorem. (k) Duce iterum Dn. D. Albert. cit. sapius loco sub Cap. I. fin. (l) Nam in utrisque obvenire fraudes & quandoque etiam utrinque licitae possunt, ut in superioribus de fraudibus.

dib. Medici, Præceptor, &c. monitum. Ceterum ita distinguuntur: Communes fraudes in negotiis privatis, civiles s. Politicæ in Publicis adhibentur. Illæ à quolibet, hæ maximè à Magistratu exerceri possunt. Dn. D. Albert c. l. (m). Neque etiam rationis status prætextu laudat Bonus Politicus vias scelerum. vid. Conring. de Civil. Prud. c. 2. p. 13. (n) Conf. eund. Conring. c. l. p. 19.

X.

Sed sufficiant hæc in hæc otii & temporis penuriâ declarandis generatim fallaciis (o): Pedem ad specialia proferimus; unde clarior illis lux procul dubio affulgebit. Quoniam autem prima meritò Reipubl. cura (p) in sacris distinctetur, num hæc ferre aliquas possint fallacias, disputari solet. Abs iis depromptas in negotiis civilibus & usurpatas quasdam fuisse cujusvis temporis historiæ docent. Nam, ut Saavedra habet (q), *non ignorat malitia quantum apud hominum animos valeat religio: quare hæc potissimum utitur ad exercendas suas technas, quibus simplicem populum facillimè decipit, qui cum fines illius omnes penetrare nequeat, sibi persuadet, ista solum tendere ad Deum reddendum propitium, ut bona fortunet temporalia, & æterna postea præmia conferat.* Neque suis successibus destitutas reperimus illas fraudes. Sane, ut rursus allegatus modò Didacus, *quod neque vis, neque diuturna multorum annorum oppugnatio adversus Trojam efficere potuit, dolus tandem obtinuit sub specie religionis, inferentibus in urbem Græcis arma sua, intra alvum equi lignei (r) abdita, tanquam si voti, quod Dea Palladi fecissent, rei essent.* Suntque non absimilia planè, quæ Phœnices Hispaniam ingressi, tentârunt, quos construxisse legimus templum arcis formâ atque Herculi dedicasse, agentes, per quietem sic iustos se esse. *Crediderunt Hispani, divinum esse cultum, quod ostendit stratagemata erat, esse pietatem, qui dolus fuit: atque ita Phœ-*

nices

nices sub Religionis prætextu, quo nihil ad speciem fallacius, oppressos deinde loci istius incolas bonis omnibus & fortunis spoliaverunt. Hæc iterum Saavedra. Et quis omnia evolvat & huc referat, quæ de imposturis, sub prætextu divini cujusdam, licet ficti, instinctus non infauiste adhibitis, penes Autores legere licet (s)? Hoc tamen seculum inter Christianos (t) talia perinde usu recepta non sunt; an inter omnes ex pietate, aut ex eâ potius ratione, quod DEI iussus simulare seculo & loco literato frigidum videatur artificium (u), decidi fortean poterit per observationem aliorum sub specie Religionis prætextuum: (x) de quibus bene Forstnerus (y) in Hypomnematis: *Et hoc quidem Religionis mercimonium, in profanis Ethnicorum Regibus prudentia videri possit: Christianos autem Principes ea decet sententia, timorem & amorem DEI OPT. MAX. felicissimam esse populos gubernandi artem neque sine ultimo scelere nomine divino abuti licere ad tegendas ambitionis & avaritiæ nequissimas artes.* Nec male Tholosanus (z): *Duplici modo hoc genus Deo exosum, & quod peccant, & quod Deum (i.e. Pietatem & religionem DEI) veluti peccatorum autorem facere nituntur.* Adeo impium est, philtre velut cujusdam (a) loco, religione uti, rectius abuti velle.

(o) Mensuram enim rei, objectum & scopum si noscimus, modumque agendi, generatim satis novimus (p) Conf. Conring. c. XII. p. 295. de prud. Civ. adde Becm. Meditat. c. 17. §. 5. (q) Symb. Polit. XXVII. pag. edit. Colon. 198. (r) Hinc pictura exhibet talem equum cum lemmate: *Specie Religionis* (s) conf. interim Campan. Polit. c. 5. Liv. Dec. 1. L. 1. Valer. Max. 1. 2. Polyb. L. 6. & 10. aliosque. (t) De Turcis enim, quid suis Dogmatibus potissimum quærant, vid. in Epist. Turcic. Reusnerian. alibi; hinc inde; mirum verò exemplum de Ann. 1090. reperimus ap. Elmacin. Histor. Sar. L. II. c. 8. f. 286. 87. conf. *Erfsts Gemüths Ergögligsteiten* p. 266. (u) hoc Grotii iudicium in Campanell. c. cap.

c. cap. vid. Dn. D. Albert. de simulat. c. 2. special. Th. 2. (x)
 Conf. hic exempla quædam ap. Gvicciard. L. 5. de Ferdinand.
 Castil & 8. de Ludov. XII. Gall. Regib. item de Maximil. I. Rom.
 Imperat. &c. (y) n. LXXIII. sub. fin. p. 240. (z) de Rep. L.
 13. c. 12. (n) sic loquitur ex Lactant. Forstner, locò mo-
 dò allegat.

XI.

Ulterius, DEO cum debeat sincerus cultus, qui in
 animo & ex animo ejusdem summæ bonitati preces of-
 ferre ac grates jubet (b); incusandi quoque & vehemen-
 ter arguendi sunt, qui neglectâ istâ sinceritate homini-
 bus placere, cultumque simulare non verentur. Atque
 hoc, si in aliquorum, certè in peregrè abeuntium gra-
 tiam, monendum fuit, ut abs simulationibus, sub quibus
 Missam accedunt, abstrahantur (c); ut conscientia po-
 tiorem habeant, quàm favoris humani (d) rationem. Quò
 etiam pertinet votum Verulamii de unitate Ecclesiæ sub
 finem fusum (e); *optandum esset, inquit, ut in omni-
 bus circa Religionem consiliis ante oculos hominum præfigere-
 tur illud Apostoli; Ira Homini non implet DEI justitiam.* Et
 certè spiritualium cura tantò debet esse impensior, quan-
 tò periculum ex neglectu præsentius est, hoc præsertim,
 novissimo pestilentissimoque seculo, quò dæmon brevi-
 us sibi tempus superesse magis ac magis animadvertit. Hic
 nemini licet, ut & in publ. incendio, *ὁ θεός ἔραυ.* Om-
 nibus dictum est, vigilate, pugnite; omnibus, arcete
 lupum, suò quisque ingenio, arte, Marte, contentione
 (f); Nulli insurratum: simulate (g)! Proin absint in sa-
 cris fictiones. Si non Principi fas est simulatis obviam ire
 fallaciis (h): quid de Deo dicendum, cujus Dominio om-
 nes etiam Domini terræ subjecti sunt? Tibi, Domine,
 nemo non serviat sincerâ mente!

C

(b) conf.

(b) conf. Lipsium. Polit. L. 1. c. 3. §. 2. (c) ut trahat huc factum Cas-
 prus. ex Gram. L. 14. p. 622. Dn. D. Alb. vid. Disp. de Simul.
 c. 2. Th. 7. (d) Tria enim sibi reservavit DEUS, inquit Stephan-
 Bathor, Rex Polon. *ex nihilò aliquid facere, futura sci-
 re, & conscientis dominari.* vid. B. Scherz. System. L. XXVI.
 §. XIII. p. 724. (e) sermon fidel. n. 3. ultima plane verba
 hujus discurs. ex aliquò Patre ita habent: *Eos, qui con-
 scientias premi, usque vim inferri suadent, sub illò Do-
 gmate suas cupiditates subtexere, illamque rem sua incre-
 esse putare.* (f) excerpti hæc verba ex B. Dannhau, Theol.
 Conf. Tom. I. P. II. S. II. Dial. III. art. VI. Qv. XII. p. 97. (g)
 Interim imprudentiæ est sibi ipsi non interrogato ab eò, cui jure
 respondendum, facessere negotium. quò pertinet illud in
 Meth. apodem. Zvvinger. Consil. L. II. p. 48. In aliena
 domò mutum & surdum esse oportet: multò magis in regi-
 one aliena. Non reprehendat mores, vel (quod cum pe-
 riculo summò conjunctum est) religionem. Quamvis enim
 pius hic sit Zelus, nullà tamen vocatio &c. (h) vid. Plat.
 de Republ. L. 2.

XII.

Pergerem hinc, ni in DANNHAUERUM (r) incide-
 rem, qui inter Technas istas, ut vocat, *callidam religio-
 num variarum tolerantiam*, refert; eumque in finem, allegat
 CONZENIUM, (k) *non ignoravit hoc, inq. uientem, Tyran-
 nus & apostata callidissimus, Julianus; novò enim prorsus
 genere persequutionis, plus damni Ecclesiis intulit, quàm sedi-
 endo. Unumquemque enim suo arbitrio vivere, & suo ritu
 docere permisit, ut licentia augeret dissensiones Christianorum.*
 Quibus gemina sunt illa Cuthemii detegentis aliquot ar-
 cana licentiæ Religionis Hugonotice in Galliâ (l); *Lauda-
 bile, ait, & prudens est consilium, quò Henricus VI. D. G.
 Christianiss. Gallie & Navarr. Rex, qui meritò insigniatur
 hoc elogio: MILES PACIFICUS: excogitavit egregia extir-
 pende*

pende apud se hereseos media, & quidem talia, quæ populum universum non modò non offendunt, sed etiam in timorem & amorem Regis sui convertunt. Prolixiora sunt verba, quam ut hic exscribi queant omnia: quæ ergo huc faciunt, paucis excerpam. Sanxit in suo Regno pro tempore religionis immunitatem, ut pax aleretur; ut hæretici distinctius ex nomine, familiâ, officio, opificio exque omnibus machinationibus cognoscerentur; ut adpareret tantò magis abs Catholicis discrepantia: denique ne laterent vires hæreticorum; quibus proin, utpote quos hæc ratione in numeratò haberet, promptius ire obviam ac frenum injicere rebellantibus posset. Huc forte redeunt, quæ pluribus ille exponit: non indigna iudicio, quod Dannbauerus N. sub initium *sophistica* (ceu hanc (m) rem inscribit) *artium secretarum* (machina suggerit: prestaret talia ignorare, ac scire, nisi prudentiam serpentinam etiam in discretionem mali à bono Dominus imperasset. Interim benè abs callidâ isthæc tolerantia distinguenda est necessaria: ac benè idcirco hinc jam separatur, quæ inter nos & Pontificios de Pacificatione religiosa est, quæstio: Tam accuratè tamen ab Nostri Theologis decisa, ut adversarii non inveniant, quod cum ratione respondeant (n).

(i) Theol. Conscient. c. in anteced. loc. p. 1079. (k) ejusque lib. 1. Polit. c. 17. p. 94. (l) in tr. de desperat. Calvin. caus. c. 10. p. 103. (m) c. 1. p. 1078. (n) vid. B. Scherz, System. Loc. XVI. §. XIII. p. 727. Conf. B. Dorschaj Anticrif. Theol. contra Ernest. de Euseb.

XIII.

Accedo nunc propius ipsa CIVILIA: atque in his, quæ hactenus negata in SACRIS fuit (o), se confestim prodit fallaciarum, debitò usurpatarum modò, libertas, si vel ad LLatorum ante reliqua prudentiam convertamur, Ita-

C 2

enim

enim est omnino; sunt *quædam vitia*, quæ *vellere Civitas*,
ob corruptam nimis hominum naturam, *non potest* (q). Imò
obtinere in non paucis Nationis illud (q):

Curandò fieri quædam pejora videmus

Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Nocet haud rarò priscus rigor & nimia severitas (r); Imò
concitantur quandoque gravioribus remedijs animi, haud
sedantur. Non malè ergo hic fallacijs utitur prudens Ma-
gistratus. Numero inter has meritò ingeniosum Chinesum
arcanum, confusionis è familiis eradicandæ causâ, in-
ventum. Ponebant namque illi legem, quâ potissimum
sexus foemine externum Decus ex parvitate pedum judica-
retur: & quò hi minores essent, eò pulchrior ipsa mulier ita-
rueretur. Factum inde, ut dum illis coarctandis studerent
nimium, ab obambulationibus frequentioribus avocatae,
intra Domos se continerent: quod LLatores illi isto me-
diò intenderant (s). Scilicet, sumo abs receptissimo his
temporibus vitio (t) exemplum, ut inde evidentius ad reli-
qua iri queat. Quid? si enim, quæ cara nimis sunt, velimus
viliori pretio vendi, nec tamen certum (unde querelæ ex-
urgerent) statuere: annon injungeretur aliud, si manda-
tum vellet, ut stantes venderent e. g. aves suas aucupes (u),
aliud reverà obtineretur; ut nimirum ii standi tædiò las-
situdineque confecti, quàm paratissimi sua, & pretiò quò
optimè possent, venderent (x). Quid? si, quæ in abusi-
bus vix commodâ ratione abrogari possunt, auctis im-
pensis (x) pluribus, graviora reddantur & sic sensim ex-
lescant. Certè fraudibus his bonis, his alia ostentantibus,
alia intendentibus simulationibus magna sæpè commoda,
ingentia subinde bona procurata sunt. Alia verò est ra-
tio fraudum circa Legum observantiam non inusitatarum.
De hisce quando quæritur, valet illud Fabii Maximi (z):

Quid

Quid ergo attinet Leges ferri? quibus per eosdem qui tulissent, fraus fieret; jam regi Leges non regere. Quare Tiberius cum foeminae famosae, ut ad evitandas legum poenas, jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cepissent, & ex juventute profligatissimus quisque, quo minus opera scenae arenaeque edenda Senatus Consulto tenerentur, famosi judicii notam sponte subissent, eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit (a). Extra dubium enim, positum omne est, quod, ubi Leges non tenent imperium, nulla sit Respubl. (b).

(c) Facit huc Lex 12. Tab. Ad divos adeunto caste, unà cum ceteris, quae congestit ratione subjecti colentis Deum venerand. DN. D. Albert. C. J. N. P. II. C. 1. §. 13. decet sanè quemque immobilem esse ad immobile Numen. ut Lemna habet Saavedr. Symb. XXIV. p. 180. (p) & de his habita est integra Disputat. Ann. LXXVII. d. 20. Januar. sub Excell. Rechenb. Praesid. occasione verborum horum Tiber. ap. Tac. Ann. III. 53. (q) III. de Pont. Eleg. 7. (r) Liv. I. VI. ubi tumultus Manlii enarrat. (s) perinde ut Veneti calceorum altitudine. vid. utrumque ap. Naud. Polit. Staats. Str. p. 75. sqv. (t) de hoc etiam ita in laudat. superius. Dn. Rechenb. Disp. Aph. IV. §. 9. *Luxum feminar. quem in lapillis, unionibus &c. ostentant, subtiliori modo viri, ne Junones iratas experiantur, fistere possent. Nempe si in aulam mos recipiatur, fastidii aut ignobilioribus gemmis sese ornandi, idque aperte, non quasi pro genuinis ista haberi debeant. Iis non Nobiles tantum & honorata feminae, sed ancillae & ignobiles etiam onusta incedere jubeantur & permittatur. Quò factò aut minoris deinde micabunt feminae, aut nobilissima quaeque perculgatum ornatum aspernata, virtute viris magis placere studebunt suis.* (u) hanc Legem novimus adhuc Lipsiae vigere (x) de piscibus ita Consiliò Poetae statuisse Graecas Respubl. vid. ap. Naud. Polit. Str. p. 78. (y) sic e. g. de Rhedis non citra quinque personarum co-

rum Comitatu in plateâ admittendis loquitur id. Naud.
p. seq. (z) ap. Liv. l. 10. Conf. Clapmar. de arcan. Rerump.
L. 1. c. 13. (a) vid. eund. Clapmar. c. 1. (b) Leges hæc verba in
Saavedr. Symb. XXI, p. 170.

XIV.

Porro, inveniunt suas laudes, sicut limitatæ sunt su-
perius, fallaciæ in Consultatoriæ etiam Prudentiæ (c) nego-
tiis. Rectè enim Forstnerus (d): *Ut cuniculi, maximum
utique in rebus bellicis momentum, detecti nocent: ita Prin-
cipum Consilia in vulgus edita, & non, quâ decet religione,
secretè habita, hostes potius, quàm illos instruunt.* Atque,
hinc est, quod Conso, quem Consilii præsidere Roma-
ni arbitrabantur, Romæ ara subterranea fuerit, ut signi-
ficaretur, consilia occulta esse debere (e). Hinc & apud
Persas nemo Consiliorum Regionum particeps extitit, præ-
ter quosdam Optimates taciturnos & fidos; apud quos si-
lentii quoque colebatur Numen &c. (f) Quamvis ergo
dantes Consilia Ministros sinceritas genuina erga Princi-
pem suum maximè deceat, cum *prava consilia spina* sint,
quæ bonam spem suffocant (g); exemplo tamen Ludovici
Gallivideretur omnino ab imperantibus obtegendum altò silen-
tium arcanum esse; & quanquam incedat animum in procin-
ctus facinoris ardui iustus timor, dissimulandum tamen, ut
tranquilla facies nihil extra prodatur (h); idque etiam tum
præcipuè, cum vix permittitur rationi in ipsis consultatio-
nibus eligendi facultas (i). Neque exprimi satis potest,
quantum in talibus possit expedita promptitudo: ex quâ
*nascitur consiliorum genus subitaneum, celere, captum extem-
pore gratâ quâdam argutiâ, specioso artificij suco imponens*
(k). Quo ipsò intricata illa consilia, quorum executio in
partes divisa est, ab initio facilia, tractatu difficultatis (l)
plena, à prudenti Magistratu aliena pronunciantur: uti nec
pre-

probanitur fraudulenta (m) ista, quæ in Consultorem, ut pro-
 verbum habet, infaustissimè redundare solent. Felicissima
 ea censentur, quæ, si cetera sunt paria, planè aliorum de-
 stinata in executione demùm deprehenduntur, quàm an-
 tè persuasum sibi habebant, quibus curiosius in ea inquirere
 summus labor est (n).

(c) Cui cautè consideranda, quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ven-
 tura trahuntur, ut habet Lemma de prudentiâ apud Saavedr.
 p. 204. Symb. XXVIII, (d) ad Tac. L.II, eaqve verba quæ de
 consiliis occultis Cæsari cognitissimè loquuntur, p. 266. (e) Ro-
 sin. 2. antiq. ex Plut. (f.) Amm. 21. ap. eund. Forstn. c.1. p. 267.
 (g) ita apud Gramonò. loquitur Regina ad Filium p. 165. conf.
 de cetero Schmidel. in Boxh. Dissertat. Polit. p. 441. seq. 498.
 seq. adde Salust. illud: *Ego ita comperi, omnia Regna, Ci-
 vitates usque eò prosperum imperium habuisse, dum ap. eos
 vera Consilia valuerunt.* Conf. Saavedr. Symb. XLVIII, (h)
 ap. Gram. p. 123. Inde commendatur ibidem *Idem agendi mo-
 dus rebus in præsens dubiis, qui latet ante aut confirmatis erat*
 &c. Interim nolim ego exemplum per omnia laudare; in-
 primis si sequentia generatim ad omnes calus de vindictæ re-
 giæ ratione extenduntur c. l. (i.) ad talem respicit Escovedus
 ap. Strad. Dec. 1. L. 9 p. 515. (k) vid. iterum Forstner. ad IV.
 Annal. Taciti in verba de lasciviente milite diducto commen-
 tant. p. 540. (l) iterum Forstn. p. seq. adde ibid. allegat. Au-
 tor. Thycyd. l. 3. Bodin 4. de Rep. l. (m) Ejusm. Consilia tri-
 buit, sed, ut arbitror, præter meritam Strada loco non uno Arau-
 sionem si conf. interim Dec. 1. L. 9. p. 527. ceterum lege hanc in-
 rem Clapmar. L. V. c. 1. meretur tamen hic etiam attendi Hypo-
 mn. LXXXIII. Forstn. cujus Inscriptio: *qualis de alienis
 Consil. conjectura esse debeat: scil. eum, qui de alienis consi-
 lio conijcere vult, nisi falli velit, non tam quid sapientem fa-
 cturum verisimile sit, quàm quò ingenio sit consilium capiens,*
 considerare oportet, conf. Gvicciard. ibid. allegat. & iudicium
 de quòdam Albar Ducis facto.

Sed vocant Judicia, in quibus tantum ab est, ut fallacias agnoscamus & simulationes, nisi suggerant illæ ad nunculum inveniendæ certius veritati (o): ut potius notemus, eò allaborasse Politicos curatiores, qui media suppeditarent, per quæ everti Judicium fraudes possent. Est inter hæc Alexandri Severi consilium, quò ad honores evehendorum nomina publicè in tabulis scripta proponebat: Unde de moribus illorum ex publicis votis judicium fieret. (p). Ceterum videtur & ille Verulamij Aphorismus alicujus momenti esse, quò statuitur, non tentari debere judicia per causas & personas fictas, ut eò modo experiantur homines, qualis futura sit legis norma. Dedecorare id Majestatem Legum & pro prevaricatione quâpiam censendum esse. Judicia autem aliquid habere ex scenâ, deforme haberi. Nec de judicibus tantum talia, sed & ijs asserimus, quibus coram judicio respondendum est. Quam enim illegitimum se huic officio suo subducendi repertum sint æquivocationes (r) Jelluiticæ, jam dudum inter omnes melioris notæ Moralistas expeditum scimus (s). Sanè valet & de his omnibus, quod P. Bembus de pessimè judicantibus ad Sadoletum scripsit: *Virum gravem (suæque conscientiæ consulturum) non decent tales ineptiæ (t).*

(o) e. g. si similem ab alterò complice mihi jam aliquas facti circumstantias enarratas esse; quò expiscer revera aliquas ex eò, quem nunc examino: quæ res ulterius ex Dicasticis scriptoribus noscenda. Adderem hîc & aliam Regulam: Non incommode dissimulari intempore delictorum notitiam, quò voluntaria inferatur animis pœnitentia. conf. eas, qui de Judic. scripsere passim (p) refert hoc Forstn. in Tacit. & iisd. verbis totum hunc Disc. Hypomn. LXVI. ex quibus locis meretur etiam legi historia, de Purpurato quòdam Bajazetis, fraudulentos Judices suâ calliditate, à morte, cui destinati erant, libe-

ranie

rante Conf. Lipf. in Polit. monit. de Judic. (q) extat. Aphor. sub fin. L. VIII. de A. S. f. 255. estque numero primus. (r) quarum beneficio Judici responderi posse æquivoce isti fraudum artifices credunt. vid. Becan. Man. Contr. l. 5. c. 21. aliosque Pontific. passim. (s) conf. Dn. D. Albert. C. J. N. P. II. c. VI. §. 43. & 44. (t) vid. Hildebr. Not. in offic. Cic. sub init. L. II. p. 156. conf. 195. 288.

XVI.

Est tamen in Tributorum exactione fallacis interdum locus. Ita res habet quidem; sunt tributa *nerve Rerum publ.* (u) *Neque enim, ut Tacitus ait (x) quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Quin, quæ Ciceronis vox (y), *Imperium sine vectigalibus retineri nullò modo potest.* Interim tamen acerbiorem exactionem eò deduxisse quondam Gandavenses, Frisios, Cameracenses, ut assurgerent contra superiores, imò hostibus se dederent, Guicciardino, Ubbon. Emmio, & qui exempla plura collegit, Forstnerò, testibus (z) edocemur. Hinc excogitatae artes sunt, quibus invidia tributorum necessariorum leniri possit, Non licet nunc referre omnes; has sufficiat attigisse. Est cautio sanè non contemnenda, ea tributi nomine exigere, quæ quibusque locis vilissima habentur. Quomodo Romani à Frisii coria bouum, à Siculis frumentum, à Corsis ceram sumebant (a) At non cautionis tantum sed & pietatis nomine venit, tributis onerare ea magis, quæ divitum luxum instruant, imò & eos, qui luxu sua in detrimentum alendæ familiæ sedulo consumunt. (b) Sic exactam pecuniam cum artificiosâ quâdam parsimoniam ostentatione in publicum erogare decet, quò benè impendi Cives tributa videant; & quæ alia hâc dere axiomata sunt apud scriptores, (c) ad quos jam ablego.

D

(u) sic

(u) Sic adpellat Ulpian. ap. Clapmar. de Arcan. L. V. c. XII. (x)
 4. Histor. (y) in Ep. ad Q. Fr. vid. de his omnib. Clapm. c. l. (Z)
 in L. VI. Tacit. & quidem in verba: *Pacem exuere; nostrâ ma-
 gis avaritiâ, quàm obsequij impatientes* p. 650. (a) Tale quid
 an hodiè succedat, nostrum hic non est iudicare. (b) Huc ma-
 ximè pertinent potationes: & præcipuè etiam aleatorum vi-
 tia, quibus citissimò gradu tenditur ad paupertatem &c. (c)
 primum iterum nomino Forstn. qui c. l. præter allatas artes,
 refert adhuc quatuor alias, de limitaneis non æque gravandis,
 de quæstoribus non imiseligendis, de sanctissimis ærario præ-
 ponendis &c. dein provoco ad Lips. L. IV. Polit. c. XI à n. 53.
 Conf. de Menes. Lusit. summ. Polit. T. III. c. VII. qui accuratè
 duo in exactiõibus servari cupit (1) *quicquid agitur, quàm
 possit fieri, suavissimè agatur* (2) *ut prius nihil habeatur in
 votis quàm Imperii conservatio*, adde Boxhorn. Instit. Polit.
 L. I. c. X. à §. 18.

XVII!

Pertinent dicta hæcenus ad immanentia, ut vocantur
 Regalia. Fas est, ea quoque paucissimis attingere, quibus
 eum exteris agitur. Dicendum hic de Legationibus; &
 quibus, his præfecti, fallaciis possint nonnunquam satijllustres
 Controversias eludere (d) velut, certè amoliri (e), exem-
 plis non paucis claret. Nolo tamen, dum finis imminet,
 in istis evolvendis detineri: Unicum hic addam, quod
 Forstnerus inter Hypomnemata (f) tanquam Principis,
 Legatum mittentis, officium posuit: Princeps inquit, *Le-
 gati sui operâ alium circumventurus, ipsi Legato prius imponat
 necesse est. Sic enim majore studio negotium sibi commissum
 tractabit, remissius utique in eò versaturus, si simulatè id agi in-
 tellegerit. Ita Ventidius, ut exploratorem, quò uti volebat,
 falleret, quæ maxime fieri cupiebat, ea vereri se, ne acciderent,
 quæ timebat, ea, ut evenirent, optare se simulabat* (g). Atq;
 dem fecit quoque Rex Philipp. II. qui consiliorum suorum
 fines

fines etiam Legatos suos celabat, alios præ se ferendo, ubi opus foret, ut, sic illi crederent, & persuaderent aliis. *Minimè autem hisce artibus*, inquit Saavedra (h) *Princeps uti poterit, si ingenuitas illius tam cauta & circū specta non sit, ut ne locum det, interiores animi motus ex gubernandi actionibus discipendi, aut ne amuli ac hostes cor ejus accogitata penetrent: quis imò, ut elabi possit ex manibus, quando illum jam comprehensum se tenere existimant.* Omnia tamen isthæc ita agenda sunt, ut defensionis potius titulum mereantur, quàm malitiæ, quàm procul esse conscientia jubet. Tùm utendum his, quando, ut utamur recta ratio svadet (i).

(d) Liceat uti hâc voce, quàm adhibuit Gram. in Controversiæ de præferent. sagatorum & togatorum: *eludit*, inquit, *Contraversiam Rex magis, quàm solvit.* v.L. 3. p.185. (e) e.g. de Procedria, de quâ elegantem Hartkn. Disputat. scripsit; de Cereemon. circa audientiam, ubi nota est Historia Legati. per angustiores fores intrantis, annulumque sub ingressum in terram projicientis, ut alia ipsi ratio se submittendi præsto esset &c. vid. qui de his rebus ex professo scripsere. (f) n. XX. ubi Gvicciard. & Marnix. allegat. (g) conf. subseqv. XXI. Hypomn. ejusd. Forstn. de aliò quòdam monito; non semper expedire, ad externos Principes legatum mittere, cujus sagacitas & prudentia publ. nota sit. (h) Symb. XLIV. p. 37. (i) idem Saavedr. c. l.

XVIII.

De bellis, quæ nec prætereunda planè (utinam nostram præterirent Germaniam!) notum est Virgilianum: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Disputatur hic de stratagematum jure. Sed valet omninò in bellis, quod inter ornamenta Regiarum ædium apud Thesaurum est, qui Armeonio in saltu Dianam pingit Comitemque Opim subdolo in reti rapidam involventes Tigrim, cum lemmate: *Quàmvis aperta, melior est pulcher dolus* (k). Aliud omne dicendum, de fœderum & pacis constitutione quando differendum. Nam benè Agesilaus apud Plutarch. in ipsius vitâ:

D 2

Fidere

Eidem in fœdere fallere, nihil aliud est, quam Deos (Deum) contemnere; hostium verò circumventio non modò cum justitiâ, sed & cum magnâ laude & jucundo conjuncta est compendio (l). Dari tamen tempore pacis simulationibus in usus publ. gratiam, si justitia & honestas maneat illibata, non nihil posse, suò exemplò Themistocles docuit, simulatâ responsione muros Atheniensium ad fastigium perducens (m).

(k) vid. Inscript. ejus p. 153. (l) add. Livium L. 42. c. 47. Grof. L. 3. c. 1. §. 6. DN. Pufend. L. IV. c. 1. §. 12. 19. (m) vid. Nepot. in Themist. conf. Justin. L. 2. c. 15. conf. DN. D. Albert. cit. Disp. c. 2. Th. 21.

XVIII.

Reducit nos hocce simulandi etiam tempore pacis negotium ab exteris ad ipsam Principis Domum, & quaestionem quòque istam ventilandam proponit, quid agendum Principi, si quos interdum de infidelitate suspectos habeat? certum quippe est, diffidentiam perfidos reddere ministros, utque, si quas struxere insidias, maturent, incitare (n). Fas ergo fuerit, ut *vultus* (cum Svavedrà (o) loquor) *ferenitatem ne illico immutet, aut suspitionis suae aliqua prodatur indicia, quin potius novis blanditiis & honoribus confirmare studeat animos & ad fidelitatem praestandam obstringere.* Exemplo sit Marcellus, qui, tamen si probè sciret, Lucium Blancum Nolanum, hominem locupletem & factiosum, Hannibalis partes sequi, accersito tamen ad se exposuit, quàm virtus ejus & fortitudo aestimaretur ab omnibus, quàmque illa perspecta esset Ducibus Romanis, qui testes essent rerum ab illò laudabiliter gestarum in Cannensi præliò: honorare eum verbis, spe ac promissis foveret & sustinet; indulget, ut liber ei semper ad audientiam pateat aditus; eaque humanitate sic illum devincit & obligat, ut ab eò tempore amicum fideliozem Respubl. Rom. nunquam habu

habuerit (p). Pariter Agrippina Neronis Mater, comper-
tis etiam insidiis, perinde se habuit, ac si nihil rescisset
de morte, quam ei filius fuerat machinatus, existimans
nimirum: *solum insidiarum remedium esse, si non intellige-*
rentur. (q).

(n) Quid? quod saepe innocentes, qui primum horruissent scelus,
poenæ metu & principis irâ in furiosa Consilia propelli sole-
ant. vid. Forstn. Hyp. V, p. 29. (o) Symb. XLIV, p. 319.
(p) Saavedr. ibid. (q) Tacit. 14. Annal. Conf. Gvicciard.
L. 4. histor. de Ludov. Sfortiâ, qui nunciata Sanseverini
defectione, dixisse fertur: *se non minorem existimare*
imprudenciam, vana suspitione fidelissimorum operâ se pri-
vare, quam incautiâ credulitate illorum se fidei commit-
tere, qui suspecti esse debebant.

XIX.

Super sunt plurima, quibus adhuc inhærendum paulis-
per esset, nisi horarum superstitum angustia imò penuria
ad finem properare juberet. Si enim aliquibus certè his
diebus, maximè distracta & ad varia avocata mens fuit.
Aliàs possemus jam per Rerumpubl. Formas ire & in Mo-
narchiâ pro compescendis Optimatibus disquirere, an plu-
ra si excogitentur officia, ne una familia alterâ fiat potentior;
an item, si illa ambulatoria sint, ac ab una familiâ devol-
vantur ad aliam, si bellicis negotiis non adhibeantur feroci-
ores &c. (r) satis tutus Monarcha dici queat in Aristocra-
tiâ mirari, Venetorum astutiam, quâ, ne supprimantur
Primores, solent impedire inter plebejos unanimem con-
sensum (s); In Democratiâ scrutari ostracismi (t) rati-
onem: Sicque de non paucis prolixissimè disserere. Pos-
semus etiam in Romanorum illò more distineri, quò sequi-
oribus & asperioribus suis factis aliquid ex memoriâ ve-
teri repetendum prætere, aut jussu prædecessorum,
excusare ea & mollire sœverunt (u): Possemus (x) de-

D 3

niqve

niq; in fontes curiosius inquirere, i. e. in causas non causas
 (y) & quàm ex fraudibus faulste adhibendis inserviant enu-
 cleare. At enim hic filū abrumpimus; ac coronidis loco huc
 redire totam dicimus sententiam: quod vix possit per obsti-
 natos ut plurimum subditorum animos, perque obstacu-
 la alia hinc inde emergentia, ex votò imperium geri,
 nisi (l) ubi non repugnat ipsa rei ratio, honestas & justitia,
 detur aliquid artificiosis expeditisque deceptionibus. At-
 que ita verum est; Imperare esse legitimè fallere popu-
 lum, nescire imperare, qui nesciat dissimulare. Utinam
 si quando talibus opus est, semper de felici eventu gau-
 deat quolibet Deo confisa Respubl. Hoc votum nostrum
 in quò (Benevolum Lectorem prius precati, ut festinanti-
 bus ad finem benevolè ignoscat!) acquiescimus.

S. D. L. ET G.

(r) Conf. Saavedr. per ea symbola, in quibus quæritur: qualem
 Principem esse deceat in subditos à p. 273 (s). Hinc con-
 certationes ordinarias sub prætextu voluptatis fovere ipsos
 ex histor. Venet. discimus (t) de quò specialem Lips. Disp. Do-
 minus Thomas, habuit. (u) Piccart. Dec. IX. c. 7. (x) non dici
 potest, quàm egregia hoc fingendi causas exercitium commoda
 in oratoriis progeneret, ubi argutiis maximè subservit: certè
 non disparia omninò præstat in his casibus de quibus nobis
 sermo fuit. conf. iterum Saavedram symb. læpius, allegat,
 XLIV, p. 320.

COROLLARIA,

I.

*Humanis in rebus secula ac per secula intereunt, causa
 & eventa eadem recurrunt.* - Strada de Bell. Bel-
 gic. Dec. I. L. I. p. 3.

II.

*Ita quidem est, innotescit aliquando mortalibus cura
 Divina*

Divina providentia per somnia: cuius rei exemplum
vid. in Scheffer. Memor. Spec. Gent. c. 4. Interim ta-
men non absque periculo illusionis intempestivam
curiositatem esse, aliquibus, quoniam ex historia
veteri petitis, speciminibus ostendit Becm. Moral.
c. 2. §. 9.

III.

Regium verè responsum est Ludovici XII. Regis Galliarum
Etiam si mihi in Turcam aut Diabolum bellum sus-
cipiendum esset, eos tamen prius audire vellem, vid.
Boxh. Histor. Univers. p. 715,

IV.

Notantur præ aliis gentibus hęc characteres velut Ger-
mani, quod poculis indulgeant. Sit causa non po-
strema habitus eorum calidior; nescio tamen annorum
maximam partem conferat prava opinio, quã nulla
conversatio iucunda creditur, nisi quæ vino mada-
et aut cerevisiã, vid. Bernegg. quest. Misc. ex Fac.
Germ. qv. XV.

V.

Non abit omninò à vero dictum Horatii, quod proceris
vice ad Orbem Politicum usus est: Mundus exigua
gubernatur sapentia

VI.


Stat nobis cum Excellentissimo Starmsio Aldorffensi
sententia, Philosophiam Electivam esse optimam.
vid. Eius de hęc Diss. Anno 76, habitam.

Ad

A
G E N E R O S U M D N .
V I C T O R E M D E G R A B O W ,
DN. Respondentem, Inquilinum & Commensalem Suum,
PRÆSES Disputationis, b. t. Academiæ
R E C T O R .

Sic igitur, quò, tempus Te non' fefellisse, ostendas publicè, publicam conscendens cathedram de FAL-
LACIIS POLITICIS differere non vereris, Amice dilectissime? Dicerem ferè arduum nimis Tuisque humeris gravius Te onus suscepisse, nisi me habuisses instigantem, nisi magnam, si qua hic commissa est, culpæ partem in me derivares, dum operis moderatorem actusque Disputatorij ipsius Præsidentem Tibi me delegisti. Approbabo igitur potius his etiam lineis conatum tuum; Omnibusque studiis & imposterum felicia quælibet (nam ea mereris) apprecabor. Prævi hætenus, quà licuit per concatenata, monstraviqve Tibi viam; quam diligentius ut seqveris prima Tuæ menti cura, maximumque semper desiderium fuit. Nec caruisse omninò expectato abs TUIS successu labores, docebit, spero, hic dies, quem Tibi gloriosum TUÆQUE Inclutissimæ FAMILIÆ lætum esse, ut Deus jubeat, animitus voveo! Polles, quod sine fallaciis scribo, ingenii non contemnenda faustitate, nites ad majora indices assurgendi decorò ardore. Nihil superest, quam ut alibi ulterius expolire pergas, quod hic egregiè cœpisti. Sed perges, scio, nec falles Tuum de Te sibi bona omnia non falso promittentem SELIGMANNUM. Sic scande mecum Cathedram, sic hilaris mecum descende! sic adsit Tibi semper Divina gratia! Vale. Dabam inter cumulatissimos labores, calamò nunc his nunc illis commodandò Die penult. April. 1681.

(o)



audulenta(m) ista, quæ in Consultorem, ut pro-
ter, in faustissimè redundare solent. Felicissima
quæ, si cetera sunt paria, planè aliorum de-
rutione demùm deprehenduntur, quàm an-
ibi habebant, quibus curiosius in ea inquirere
est(n).

è consideranda, quæ sint, quæ fuerint, quæ mox veri-
antur, ut habet Lemma de prudentiâ apud Saavedr.
ymb. XXVIII, (d) ad Tac. L.II, eaqve verba quæ de
occultis Cæsari cognitio loquuntur, p.266. (e) Ro-
iqv. ex Plut. (f) Amm. 21. ap. eund. Forstn. c.1. p.267.
ud Gramonò. loquitur Regina ad Filium p. 165. conf.
o Schmidel. in Boxh. Dissertat. Polit. p. 441. seq. 498.
Salust. illud: *Ego ita comperi, omnia Regna, Ci-
isque eò prosperum imperium habuisse, dum ap. eos
felia valuerunt.* Conf. Saavedr. symb. XLVIII, (h)
p. 123. Inde commendatur ibidem *Edem agendi mo-
in presens dubiis, qui letis ante aut confirmatis erat*
terim nolim ego exemplum per omnia laudare; in-
seqvèntia generatim ad omnes calus de vindictâ re-
ne extenduntur c. l. (i) ad talem respicit Escovedus
Dec. 1. L. 9 p. 525. (k) vid. iterùm Forstner. ad IV.
acii in verba de lasciviente milite diducto commen-
40. (l) iterùm Forstn. p. seqv. adde ibid. allegat. Au-
cyd. l. 3. Bodin 4. de Rep. I. (m) Ejusm. Consilia tri-
arbitror, præter meritum Strada loco non uno Arau-
Conf. interim Dec. 1. L. 9. p. 527. ceterum lege hanc in-
mar. L. V. c. 1. meretur tamen hic etiam attendi Hypo-
XXIII. Forstn. cujus Inscriptio: *qualis de alienis
onjectura esse debeat: scil. eum, qui de alienis con-
icere vult, nisi falli velit, non tam quid sapientem fa-
erissimile sit, quàm quò ingenio sit consilium capiens,
re oportet, conf. Gvicciard. ibid. allegat. & judicium
m Albæ Ducis facto.*

